alter tantum sit correctus, illi ait concedi jus repetendi. Sed loquuntur consequenter ad sententiam nu. 27. relatam, quam ipsi tuentur, concedentem priori adultero jus, & actionem ad repetendum. *Anchar.* vero *c.Ex litteris, n.* 10. *fin. de divort.* & *Gaeta repetit. c.ad limina* 30. *q.*1. §.4. *n.*231. *Sylvest. v. Divortium, qu.ult. Rosella v.Matrim.* 7. *n.*3. *Vincent. Specul. doctrinal. l.*2. *l.*10. *c.*44. negant permitti innocenti, qui post sententiam fornicatus est, priorem adulterum sibi reconciliare invitum: Quoniam tunc extinguitur effectus sententiæ divortii, quæ eam actionem concedebat adversus conjugem adulterum. Deinde quia conjuges non ad imparia judicandi sunt, *c.Gaudemus de divort.* Et si delictum eos impares effecit: cum jam æquales sint in delicto admisso, debent etiam esse æquales in jure, & actione ad repetendum. Sicut ergo prior adulter caret actione, similiter posterior carebit, vel utrique ea concedenda est. Sed arbitror hunc innocentem, qui post divortii sententiam adulterium commisit, adhuc habere actionem, & jus ad reconciliandum sibi alterum, illumque tenere, volenti illo innocenti ad usum matrim. redire. Quoniam in favorem prioris innocentis transit sententia in rem judicatam, quæ sententia minime retractanda est ob fornicationem ipsius subsecutam: & hinc est ut prior adulter jus habeat ad repetendum. Cum autem minime transierit in favorem prioris adulteri, nil est, quod ipsi suffragetur, quo minus redire teneatur. Si enim excipere velit de adulterio alterius, obstat sibi simile adulterium, quo infectus est: si autem exceptione rei judicatæ juvari velit, non transiit in favorem ipsius sententia in rem judicatam (ut n.4. diximus) Quare non obstat argumentum contrarium; quia sententia divortii, in favorem innocentis solius transiens in rem judicatam, est causa hujus inæqualitatis inter conjuges. Nec innocenti fornicante post divortii sententiam, revocantur ad pristinam æqualitatem. Quia delicta tunc minime compensantur, ut n.30. probavimus.

37 Tandem id superest explicandum: an si vir ob adulterium uxoris, lata judicis sententia dotem ipsius acquirat, ac jus divortii, & post sententiam fornicetur, recuperet jure actionis uxor dotem amissam? Et quidem retenta sent. n.27. relata dicente uxorem habere tunc actionem ad repetendum virum, dicendum subinde est habere actionem ad repetendam dotem. Quia compensantur delicta. Quod optime dixit *Greg. Lop. l.* 18. *v. Esse mismo, t.*2. *p.*4. ait enim viro fornicanti post sententiam divortii, amplectendam esse sententiam quæ tribuit jus uxori: & per consequens fore, ut uxor recuperet dotem ob adulterium amissam. Et ideo *Barbos. l.Viro, atque uxore* 40. *n.*3. *ff. solut. matrim.* docet utrumque concedi jure actionis uxori. Et *Mexia taxa panis, concl.*6. *n.*63. dicit jure expeditum esse uxorem esse per sententiam judicis recuperaturam dotem, virumque illa privandum. Et retenta nostra sent. n.30. explicata, dicente nullam superesse actionem uxori adulteræ per sententiam admissæ, sed solum posse judicem ex officio renunciare conjuges: dicendum est nullo modo esse reddenda uxori dotem. Quia judex ad instaurandum matr. impertitur suum officium, quo deinceps peccatum incontinentiæ vitetur. Quæ ratio minime cogit, ut debeat compellere ad reddendam dotem. Cum reconciliatio conjugibus, & dote acquisita viro, periculum incontinentiæ satis vitetur. Quod si nulla præcesserit sententia, sed vir pactum inierit cum uxore adultera, lucretur dotem, & sic desisset ab accusatione criminali adulterii, (quod fieri posse diximus disp. præc. n.22.) Existimo eum postea fornicantem teneri nulla expectata judicis sententia dotem restituere uxori, sicut & tenetur illam ad consortium maritale admittere. Quia delicta quoad utrumque compensantur, quando committuntur ab utroque ante latam sententiam: & hoc non in solo foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, quamvis delictum alterius occultum sit. Ut probavi disp. præc. n.29. & seq. Nec obstat pactum lucrandæ dotis, seu potius illius retinendæ. Quia illi jure ipso inest tacita conditio, nisi compensentur delicta viro postmodum adulterante. Cum tunc, jure ita disponente omnia redeant ad pristinum statum. Sicut *l.Quæro*, 56. §.*Inter locatorem, ff. locati*, asseritur locatorem fundi non teneri solvere pœnam, de qua conventum est, si intra conventionis tempus expellat conductorem, eo quod biennio non solverit pensionem, vel non excoluerit, ut oportet, fundum. Quia quamvis nil expressum sit in stipulatione, de solutione pensionum, at verisimile est ita convenisse, nimirum, sub ea conditione, si pensionibus paruerit, & ut oportet, coluerit. Sic ergo in nostro casu, quando conventum est inter virum, & uxorem, ut uxor non repeteret dotem, & vir ab accusatione desisteret: quamvis nulla conditio apposita sit: at intelligitur, nisi vir denuo adulterii reus esset, sicque prius delictum uxoris, compensatione tolleretur.

38 Ad arg. n.27. proposita resp. Ad 1. desumptum ex *c.Ex litteris, de divor.* prætermissis solutionibus *Soti* 4. *d.*36. *n.un. ar.*6. *ad* 3. & *Abul. c.*19. *Matt. qu.*76. *ad* 4. quæ mihi non placent, legitima solutio est, in casu illius textus non interveniffe divortii sententiam. Quod ex eodem textu manifeste colligitur, ibi: *Sane tu convocato capitulo tuo, cum ex eorum consilio utrique privatim continentiam injunxeris*. Si privatim, non ergo interfuit sententia. Atque ita docent *Goffr. sum. t. de divor. nu.*13. *Inn. eo. c.Ex litteris, n.un. super v. Privatim. Host. ibi init. super eo. v.Jo. Andr. n.*10. *Anch. n.*5. *Abb. c.fin. n.*4. *de adul. Arch. c.Apost.*22. *q.*7. *ad fin.* & *ibi Bell. nu.* 2. Ad 2. dic compensationem admitti, quando utriusque fornicatio præcedit divortii sententiam. Nec jus naturale, & divinum dictat post sententiam admitti compensationem. Quia adultero illam alleganti obstat exceptio sententiæ, quæ in favorem alterius, qui dum lata est innocens erat, transiit in rem judicatam. Et jus ipsum naturale, & divinum præscribit sententiam justam observandam esse. Ad confirm. negandum est fieri tunc compensationem: & commodum sententiæ extingui. Quia omnibus illis præponderat exceptio rei judicatæ: & incontinentiæ periculo judicis officio subveniri potest. Ad 3. dic, judicis sententiam minime præstare adulterandi ansam: sed alterum conjugem ob malitiam suam abuti libertate: & ideo dignum esse, ut judex ex officio suo ad pristinam servitutem eum revocet. At non inde prior adulter actionem ad repetendum comparat. Ad 4. admisso antecedenti negganda est consequentia. At non sententia est injusta ob eam inæqualitatem: ea enim proficiscitur ex eo, quod transeat in rem judicatam in favorem innocentis, & in odium ipsius rei. Quæ inæqualitas, ut faveat innocenti contra reum, semper invenitur in sententia justa, æqualitas enim servanda, ut justa sit, ea est, ut unicuique reddat quod suum est. Ad ultimum dic, eam conditionem includi, quando uterque ante sententiam fornicatur: secus quando alter post. Ad arg. n.28. propositum constat ex dictis: ea enim compensatio, solum habet locum, quando ambo conjuges ante divortii sententiam adulterium committunt. Ad arg. nu.29. adducitum dic, licet non sit textus in hoc speciali eventu: esse regulam generalem, ut judex officium suum impertiatur, quando id bonum commune, vel ad vitanda peccata necessarium est, ut n.30. probavimus.

DISPUTATIO X.

An conjux adulter teneatur quandocumque innocenti volenti reconciliari, vel integrum illi sit, saltem lata divortii sententia, ad religionem, ordinesve sacros transire, aut votum simplex castitatis emittere?

SUMMARIUM.

*Quot quæstiones disputandæ sint, n.*1.

An possit innocens reconciliare sibi conjugem adulterum invitum, dum status non est mutatus, sed res est integra. Refertur quædam opinio, 2.

Potest innocens, etiam sententia divortii lata, reconciliare adulterum invitum, dum non est mutatus status. Nec pœna præstat immunitatem. Et quod favore alicujus introductum est, non debet in ejus damnum retorqueri. Nec ex proprio delitio est commodum reportandum, 3.

An desidereturad hanc reconciliationem, ut judex divortii sententiam, quam semel tulerat, retractet, 4.

Solvuntur argumenta, Et enodantur l.Paulus respondit, la 2. *ff. de re judic.* & *l.*1. *C. si plures una sentent a, n.*5.

An si conjux innocens statum mutarit, votumve simplex castitatis emiserit, possit conjugem invitum, qui adulter fuit, reconciliare, 6.

An quando nulla sententia præcessit, & *manet innocens in eodem statu, possit adulter illum mutare: aut castitatem in præjudicium alterius vovere, nec possit innocens vota irritare,* 7.

*Quid si solius judicis sæcularis sententia præcesserit, detrudens adulterum in monasterium, quando possit ea profiteri. Et explicatur auth. Sed hodie, C. ad l.Jul. de adult. n.*8.

Quid distet inter posse adulterum invito innocenti statum mutare: aut solum posse eo inconsulto, nec licentia petita, 9.

*An possit adulter lata divortii sententia statum mutare, aut voto castitatis se astringere, invito innocenti, aut absque ejus licentia, ita ut revocari minime possit. Refertur duplex opinio, n.*10. & 11.

Nequit innocenti invito, alias potest revocari, 12.

Similter nequit absque innocentis licentia, 13.

Quid, si innocenti conscio, & *non contradicenti, status mutetur adulteri, aut votum castitatis emittatur,* & *an tunc vel quando de licentia expressa emissum est, aut votum religionis possit innocens irritare. Vel saltem re integra licentiam semel concessam revocare, nu.*14. *ubi etiam de aliis votis emissis ab adultero de licentia innocentis.*

*An de licentia innocentis adultero ingresso in monasterium, vel ad ordines promoto, possit innocens in sæculo manere, etiam voto castitatis non emisso, n.*15. & *ibi, an possit innocens profiteri, vel ordines suscipere manenti adultero in sæculo.*

An conjuge innocenti reconciliationem nolenti post divortii sententiam integrum sit adultero statum mutare. Possitque adhuc adulter revocari, donec profiteatur, 16.

An creditur juramento adulterii, dicentis se votum jam emisisse, 17.

Solvuntur argumenta, 18.

EGimus in superioribus disp. de conjuge innocenti, quando postea in adulterium lapsus est, quando teneatur priori adulterio reconciliari: & quando valeat statum mutare. Jam de conjuge in innocentia persistenti agendum est. Et in hac disput. qualiter possit adulterum invitum reconciliare: & num adulter valeat statum mutare? In seqq. vero, quando possit innocens invito adultero ad religionem, ordinesve transire? Et an

an desideretur sententia judicis, ut innocens divertat? Et an teneatur conjugem adulterum dimittere? In præsenti ergo disputatione duplex qu. est agitanda. Prior, an possit innocens re integra, idest, statu neutrius conjugis immutato, adulterum invitum sibi reconciliare? Posterior, quando status alterius est jam mutatus.

2 Quæstio I. An re integra ex parte utriusque conjugis, quia neuter statum mutavit, votove castitatis se astrinxit, integrum sit semper innocenti invitum adulterum sibi reconciliare: atque adulter teneatur admittere? Quidam hoc admittunt, ubi divortii sententia lata non est: secus ea lata. Ducuntur 1. quia sententia divortii cum matr. omnino separet, manenti solo vinculo, utrumque conjugem æque absolvit ab obligatione cohabitandi, & reddendi debitum, alias claudicaret, nec æqualitatem justitiæ servaret. Ergo sicut innocens non tenetur admittere adulterum petentem reconciliationem, ita e contra. Secundo, quia innocens renuens adultero reconciliari, persistensque usque ad divortii sententiam, & illam admittens, visus est jure, quod in adulteri corpus habebat, cedere: & adulter pœnas dedit, quas innocens postulavit. Cum ergo per cessionem illam innocens omnino destitutus sit jure, quod in corpus adulteri habebat, nequit illum ad reconciliationem cogere. Tertio, quia sententiæ semel latæ, quæ utrique libertatem concessit, standum est, dum a superiori non retractatur, *c.Quod semel* 6. *qu.*4. Quarto, quia nil mirum est, si sententia ipsis condemnatis prosit. Ut constat ex *l.Paul. respondit eos qui* 43. *ff. de re judic.* & *l.*1. *C. si plures una sententia*, ubi deducitur plures debitores in solidum obligatos, minime conveniri posse, nisi pro virili portione, si una sententia condemnati sunt certæ quantitatis solvendæ, judice in sententia subticenti, unumquemque teneri in solidum. Ergo similiter divortii sententia adversus adulterum lata, ipsi proderit immunem eum reddens ab obligatione redeundi ad conjugem innocentem. Et ideo hanc sent. quæ probabilis est, sustinent *Hugo* relatus *a gl. c.Ex litteris, v.Redire, de divortiis, Monald. sum. tom. De divortio ratione fornicationis*, §.*An possit vir reconciliare sibi uxorem adulteram invitam, paulo post princ.* nam licet statim in principio videatur oppositum tenere: at postea relata Hugonis sent. illam non relpuit, *Tabiena Matr.* 4. *q.*5. *n.*6. *Sot.* 4. *d.*36. *qu.un. art.*5. *ad* 3. *Nav. l.*3. *conf. in* 1. *edit. t. de reg. conf.*38. *nu.*1. quamvis *in* 2. *edit. l.*4. *t. de divort. conf.*4. *fin.* id temperent, si velit conjux adulter ad religionem transire. Et dicit esse probabilem *Petr. de Led. de matr. q.*62. *ar.*6. *in not. circa* 3. *conel.*

3 Ceterum multo probabilius est, posse innocentem, quamdiu status utriusque est omnino immutatus, cogere adulterum ut sibi reconcilietur, & teneri adulterum connivere, quamvis sententia divortii præcesserit. Ducor 1. Quoniam conjux innocens non privatur per sententiam jure, & dominio, quod habet in adulteri corpus: alias prodesset sententia reo, adversus quem lata est. Quod iniquissimum esse docet *Jurisconsultus, l. Evidenter*, 16. *ff. de except. rei judicatæ*. Secundo, quia cum divortii sententia sit prorsus in favorem innocentis, & odium adulteri, non est in damnum innocentis, & favorem adulteri retorquenda, concedens huic immunitatem conjugalis obligationis, & illum pristino jure in corpus adulteri privans. Quod enim in meum favorem introductum est, non debet in meum damnum retorqueri, *l. Quod favore, 6. C. de legibus*. Et confirm. quia cum solus adulter sit condemnatus, jus innocentis integrum, ac illæsum manere debet, quo possit adulterum ad pristinam amicitiam reducere, etiam invitum, argum. ex *c. Quidam, de conversf. conjug.* & *cap. Qui dormierit*, 27. *q.*2. Alias daretur conjugibus ansa fornicandi, ut sic diverterent liberi a pristina servitute. Tandem, quia pœna, qualis est divortium, immunitatem adultero tribuere non debet, *l. Relegatorum* 7. *ad fin. de interdict.* & *relegat.* Atque æquitati repugnat adulterum ex delicto suo commodum reportare *l.Itaque ff. de furtis*. Et ideo hanc sententiam tuentur, ex Jurisperitis, *Laurentius*, quem refert & sequitur *Glossa, cap. Ex litteris, verb. Redire, de divort. Goffredus sum. t. de conversf. conjug. n.*8. Et *t. de divortiis, n.*6. *Hostiens. sum. t. de conversf. conj. n.*9. *vers. Et nunquid*. Et *c. Gaudemus nu.*1. *eod. t.* & *cap. Ex litteris, num.* 2. & *c. De illa, num.*2. *de divort. Innocent. eo. cap. De illa, nu.un. vers. De illis, Joan. And. cap. Ex litteris, num.*10. ubi *Abbas in fine, Alexander de Nevo n.*20. & *d. c. De illa, nu.*6. *Cardin. d. c. Ex litteris fin.* ubi *Ancar. num.*10. *Henricus ibi, num.*13. *fine*, & *c. Uxoratus, n.*6. *de conversf. conjug. Præpositus c. Ex parte, nu.*4. *de sponsalib. Fel. c. Lator, declar.*9. *num.*9. *de sent.* & *re judic. Alboric. in suo diction. lit. M. v. Matrimon.*8. *vers. Quid si aliquis conjugum, lit. D. verb. Divortium*, §. *Divortium jecundum, vers. Quero utrum conjux Joan. de Friburgo summ. confess. l.*4. *t.*22. *quæst.*14. *Astens. summ.* 2. *par. l.*8. *t.*11. *art.*3. *fin.* & *t.*32. *ar.*3. *casu* 6. *Rosella Matrimon.*7. *num.*3. & *verb. Divortium, num.*11. *Angel. Matrimonium* 4. *num.*3. *Sylv. verb. Divortium, quæst.*12. *Tabiena Matrimon.* 4. *quæst.*5. *num.*6. *fine, Brunell. de sponsal. concl.*30. *decl.*8. *num.*12. *vers. Tertius est Turrec. c. Apost.* 12. *q.*7. *ar.*1. *n.*1. *in solut. ad* 3. *Greg. Lop l.*5. *Verb. De adulterio t.*10. *p.*4. *Gaeta rep. c. Ad limina* 30. *q.*1. §.4. *num.*231. *Barbosa rubr. ff. sol. matr.* 2. *p. num.*22. *fin.* & *l.*2. *par.*1. *in princ. n.*100. *fin.* Et ex Theologis, *D Th.* 4. *d.*35. *q.un. ar.*6. *ad* 3. & *ibi D.Bonav. ar.un. q.*5. *Durand. q.*2. *ar.*1. *n.*6. *Paludd. q.*2. *ar.*1. *n.*16. *Majoris q.*1. *in fin. Supplem. Gabr. qu.un. ar.*2. *concl.*9. & *paulo inferius, in solut. ad arg. Goffredi, vincentius specul. doctr. t.*2. *l.*10. *c.*44. *fin. Ant.* 3. *p. t.*1. *c.*21. §.6. *vers. Effectus accusationis, Abulens. c.*19. *Matth. q.*75. *Nic. de Orbellis* 4. *d.*15. *q.*2. §.2. ubi *Celaya qu.*1. *arg.*2. *fin. Palacios disp. un. col.*17. *dub.*2. *fol.*788. *viguar. l. inst. c.*16. §.7. *vers.* 9. *imped.*10. *a fin. vers. Notandum quod, Veracr.* 3. *p. spec. ar.* 6. *concl.*1 & 2. *Ang. Flor.* 1. *p.*2. *mart. q.*9. *de divor. ar.*1. *diff.*3. *Bart. a Led. dub.*70. *de matr. paulo post princ. Petr. de Led. de matr. q.*62. *ar.*6. *concl.*3. *Philiarc. de off. sacer. t.*1. *p.*2. *l.*2. *c.*17. *ad fin. Graf. 1.p. dec. l.*2. *c.*84. *n.*14. & 2. *p. l.*1. *c.*12. *nu.*66. *Lud. Lop 1.p. instr. c.*195. §. *Præterea quia non tam facilis, Emm. Sa sum. v. Divortium, n.*2. *vers. post divortium, Cannedo sum. sacr. de matr. c.*7. *n.*65.

Aliqui hoc intelligunt modo judex sententiam divortii semel latam retractet. Unde dicunt conjuges reos esse culpæ, si reconcilientur, & matrimonio utantur ante eam retractationem. Quia alias divortii sententia nullius esset effectus. Sic *Palacios* 4. *d.*35. *disp. un. col.*18. *fol.*785. *vers. Servitus ergo*. Ceterum id minime desiderari, mihi certissimum est. Quia cum sententia absolverit innocentem in ipsius favorem a debito conjugali solvendo: satis est, ut possit licite ad usum matr. redire, eum nolle eo favore uti. Nec ob id caret sententia suo effectu, qui erat innocentem liberum esse a conjugis adulteri servitute, dum eum sibi reconciliare renuit. 4

Ad arg. contraria num.2. proposita respond. Ad 1. dic, non absolvere sententiam divortii utrumque conjugem, sed solum innocentem in favorem ipsius, & odium adulteri, nec ob id sententiam esse injustam, ut explicui disp. præc. n.38. in solut. ad 4. Ad 2. negandum est, innocentem connivendo sententiæ divortii voluisse jure suo, quod habet in alterius corpus, cedere: sed tantum voluit sententia admittere, quatenus id favorem suum cedit, ipsum a conjugali servitute eximens. Ad 3. constat ex dictis. Non enim sententia utrique conjugi, sed soli innocenti libertatem concessit: ac proinde cum innocens sibi adulterum conciliat, non contravenit sententiæ: sed non vult uti favore per illam sibi concesso. Ad quartum dic cum *gl. l. ea* 1. *C. si plures una sent. in fine*, & *Bart. ea l. Paulus respondit, statim in princ.* sententiam illam minime prodesse condemnato. Quoniam licet virtute sententiæ illius nullus in solidum conveniri possit, eo quod sententia id minime expresserit: at priori actione potest agi contra quemlibet debitorem in solidum. Sic ergo innocens non reconciliat adulterum virtute sententiæ divortii. Illa enim nec concedit, nec ausert jus reconciliandi: sed innocentem a debito conjugii absolvit: at reconciliat invitum, ratione vinculi matrimonialis, quod obligat adulterum ad debitum redendum: adversus quam obligationem nulla exceptione juvari potest. Cum sententia divortii ipsum non absolverit nec ipsi suffragetur, sed soli innocenti. 5

Quæstio II. An quando res non est integra, quia alteruter conjux jam statum mutavit, votove castitatis simplici se astrinxit, integrum sit innocenti adulterum repetere, & sibi reconciliare? Et quidem, quando res non est integra ex parte innocentis, eo quod jam statum mutarit, factus professus, aut sacris ordinibus initiatus: manifestum est, nullum superesse jus innocenti ad reconciliandum adulterum. Quoniam assumpsit statum immutabilem, & incompatibilem, tradiditque se religioni per professionem, vel Ecclesiæ per ordines ad sacra ministeria: nec potest ab eo statuto resilire. Quare eum assumens, omne a se jus matr. abdicavit: Sic *Jo. de Frib. sum. conf. l.*4. *t.*22. *qu.*14. *Palacios* 4. *d.*35. *disp. un. col.*17. *dub.*2. *f.*788. Unde bene *Rosella, v. Divortium, nu.*11. ubi *Sylvest. qu.*10. *Armilla num.*8. admittunt fas esse adultero profiteri, quando jam innocens est professus. Et ego addo, vel quando jam ordines sacros suscepit. Idem dicit *Palacios*, si innocens votum simplex castitatis emiserit. At contrarium credo. Quamvis enim peccet contra votum si reconciliet sibi adulterum: at adulter nulla se exceptione tueri valet, ne ad innocentem petentem reddat. Votum enim simplex non privat conjugem voventem jure justitiæ, quod habet in corpus conjugis. Qua ratione diximus l. præc. disp. 6. nu.7. teneri conjugem reddere debitum alteri sacrilege petenti contra votum castitatis. Et idem est dicendum, si innocens solis minoribus ordinibus sit initiatus. Quia nondum habet statum immutabilem. Et ita bene dicit *Palacios proxime cit.* quando jam innocens est sacris initiatus: quasi contrarium sentiens, ubi ad solos minores ordines ascendisset. Et *Jo. de Pribur.* quando statum mutavit innocens. Non enim per solos minores ordines assumptos censetur status mutatus. 6

At quando res non est integra ex parte solius conjugis adulteri, est quæstio difficillima, ac satis confuse a DD. disputatur: ac proinde qua distinctione potero, tem hanc expediam. Pendetque ejus decisio ex ea quæstione: num fas sit conjugi adultero ad professionem, aut ordines transire, aut voto castitatis se astringere invito innocenti, aut absque ejus licentia, in illius præjudicium? Tres casus distinguendi sunt. Primus est, quando nulla sent. præcessit. Secundus, quando sola judicis sæcularis damnantis adulterum uxorem intrusionis in monasterium. Tertius est, quando lata est a judice Ecclesiastico sent. de divortio. Et in primo casu, quando nulla præcessit sent. concordes reperio omnes DD. alserentes non posse conjugem adulterum statum mutare, aut voto castitatis in præjudicium innocentis se astringere: quod si id efficiat, posse ab innocenti revocari, ut ad usum conjugii redeat. Quia cum res judicata minime sit, nil est, quod suffragari adultero possit, quo integrum ei sit statum mutare, aliudve, quo innocentem

centem lædat, efficere. Delictum enim ipsius immunitatem præstare minime debet, ne ex delicto commodum assequatur, *l.Itaque, ff. de furtis*. Atque ita fatentur omnes DD. allegandi. An vero vota ab adultero tempore divortii emissa possit alter conjux irritare? dixi l. præc. disp.39. n.41.

8 In 2. casu, quando sola judicis sæcularis sent. præcessit detrudens uxorem adulteram in monasterium, ut pœnitentiam agat: extat decisio *auth. Sed hodie, C. ad l.Jul de adult.* sic habens: *Sed hodie adultera in monasterium mittatur, quam se habens: Sed hodie adultera in monasterium mittatur, quam intra biennium viro recipere licet: biennio transacto adultera tonsa, monastico habitu suscepto ibi dum vivit, permaneat.* Ex quo textu constat, viro innocenti integrum esse intra biennium a prædicta reclusione uxorem sibi conciliare, nec eam posse ante id tempus transactum in viri præjudicium professionem emittere: quod si emittat, posse a viro revocari. Atque ita faciendum esse, docent *gl. c.Gaudemus, v.In claustris, de converſ. conj. & ibi Hoſt. n.3. J. And. n.3. Ant. fin. Anch. n.2.Card. n.un. q.1. Aſtenſ. ſum. 2.p. l.8. t.11. ar.3. fin. Roſ. v. Divort. n.11. Sylv. qu.10.* Et quamvis fere omnes hi DD. non explicent cum textum procedere, lata sent. a judice sæculari: imo *gl. v. Ceciderunt, Roſ. & Sylv. ibid.* explicant quando præcesiit sent. vel adultera publice in adulterio deprehensa detruditur in monasterium. At re vera ita intelligunt illum textum. Nam *Hoſt. Jo. Andr. Ant. Anchar. Cardin. Aſtenſ.* expresse dicunt quando non præcessit divortii sent. sed detrusa est uxor in monasterium ad perpetuam pœnitentiam: juxta *d.auth. Sed hodie*: quod idem petunt reliqui DD. Detrudi autem eo modo nequit uxor, nisi judicis ministerio, vel proferentis sententiam servato integro ordine judiciario, vel eo emisso: quia uxor publice in adulterio deprehensa est, ita ut nulla tergiversatione celari possit. At ita intelligunt præcedente ea sent. illum textum, *Abb. eo c.Gaudemus, n.7. Nav. l.3. conſ. in 1.edit. t. de reg. conſ.38. n.1. in 2.* vero, *l.4. t. de divort. conſ.4 n.1.* Et quamvis *Abb. eo c.Gaudemus, n.7.* dicat minime sibi placere intellectum prædictorum DD. at id evenit, quia falso existimant eos intelligere corrigi *d. auth. Sed hodie*, per *d. c. Gaudemus*, Nam in *d.auth.* assignatur tempus biennii ad reconciliationem: & *d. c.Gaudemus*, nullum præcribitur tempus. Unde dicit *Abb.* non corrigi: quia loquitur de instituta accusatione criminali; at *c.Gaudemus*, quando non intervenit ea accusatio criminalis. Sed revera prædicti Authores non discordant. Nam manifeste intelligunt *d.auth.* præcedenti sentent. criminali judicis sæcularis. Et statim *Hoſtienſ. Joan. Andr. Anton. Anchar. & Card.* intelligunt *d. cap.Gaudemus*, nullum præscribens tempus, in diverso casu: nimirum, quando divortii sent. præcessit. Ex his ergo doctoribus constat in casu *d. auth. Sed hodie*, transacto eo biennio, quo noluit eam vir reconciliare, posse uxorem profiteri, ac professione facta, non posse revocari a viro: sed sibi imputare debet seram reconciliationem. Atque ita expresse docent *Richard. 4. d.35. art.3. q.2.* ubi *Nic. de Orbell. qu.2. §. 2. Roſella verb. Divortium, num.11.* ubi *Sylv. qu.10. Arm. num. 8.* Debet autem hoc intelligi, si eo tempore biennii fit jam uxor emendata. Non enim debet viro imputari, si eo spatio renuat fieri reconciliationem, nec in mora esse dicetur: si uxor in adulteriis persistat. Cum indignum sit eam tunc admittere. Sic *Nicol. de Orbell. Roſella, & Sylv. ibid.* immo & monitionem postulant *Richard. & Nicol. de Orbell.* nempe, ut vir monitus nolit intra biennium uxorem reconciliare. At eam minime desiderari placet. Quoniam nec *d. auth.* nec alii DD. eam petunt. Cum tamen *Hoſtien. Joan. Andr. Anton. Anchar. & Card.* statim loquentes quando divortii sentent. præcessit, in quo casu nullum est præfixum tempus reconciliationi faciendæ, petunt ut vir tæpe moneatur: quasi sentiant biennium præscriptum *d. auth. Sed hodie*, esse loco monitionis. Si autem uxor nondum professa sit, transacto quocumque temporis spatio, potest a viro reconciliari. Quoniam in biennium est solum præscriptum, ut postea uxori liceat profiteri, nec a viro jam professa repeti possit. Quare dum professa non est, sed res est integra, jus reconciliandi non denegatur viro. Ut optime animadvertit *Palud. 4. d.35. qu.2. art.3 nu.16. alleg. d. auth. Sed hodie*. Unde minus bene dicit *Palacios 4. d.35. disp.un. col.18. fol. 789. ante verſ.Neque nocens* quamvis *d.auth.* præscribat biennium: nullum esse tempus destinatum in foro conscientiæ, si res integra maneat, in quo non liceat innocenti uxorem adulteram cogere ad reconciliationem: atque ita tenit contrarium decidisse pro foro externo *d.auth.* Quia re vera stante decisione *d.auth.* verum est in utroque foro posse quandocumque re manente integra, uxorem a viro revocari. Tandem non est audiendus *Salicet. d. auth. Sed hodie, n.3. oppoſ. 4. in fin.* dicens corrigi eum textum per jus canonicum, quod minime permittit uxorem ad religionem transire, viro in sæculo manente, *c.Uxoratus, & toto t. de converſ. conjug.* unde infert, attento jure canonico integrum esse viro eam uxorem perpetuo sibi reconciliare. Quod idem videtur sentire *Bald. d. auth. nu.2.* reddens enim rationem, cur adultera sic in monasterium detrusa non sit monialis? dicit eam esse: quoniam profiteri nequit viro in sæculo manente. At neuter est audiendus. Et omnes DD. relati *d.auth.* decisioni standum esse opinantur, & proinde non corrigi per jus canonicum. Et ratio est, quia dum jus canonicum negat conjugibus facultatem transeundi ad religionem altero manente in sæculo: intelligitur manente integro, & illæso matrimonio, secus ubi adulterium alterius conjugis intervenit, ut constabit ex dicendis n.15. & tota disp. seq.

In 3. casu, nempe lata a judice Ecclesiastico sentent. divortii, major est difficultas, num liceat adultero absque innocentis licentia, aut eo invito profiteri, sacrisque ordinibus initiari, ac votum simplex castitatis emittere: atque ita postea non liceat innocenti ipsum revocare. Et id observandum est, valde differre, posse adulterum absque licentia innocentis, vel posse ipso invito. Nam in priori casu poterit adulter inconsulto, & incio innocente, statum mutare: atque eo mutato non poterit ab ipso repeti. At si ante mutationem contradicat innocens volens sibi adulterum reconciliare, id non poterit efficere adulter, sed tenebitur innocenti acquiescere. In posteriori vero poterit adulter mutare, quamvis contradicat innocens. 9

Quidam in hac quæst. existimant posse adulterum, post 10 sentent. divortii latam, profiteri absque alia innocentis licentia, sed ipso consulto: atque ita sic professum non posse ab innocenti repeti. Ducuntur, quoniam innocens persistens usque ad divortii sentent. illique connivens, videtur adultero facultatem profitendi concedere, & quoad hoc jure suo cedere. Sic sentiunt *Pal. 4. d.35. qu.2. art.3. n.16 Sotus 4. d.36. qu.un. art.6. ad 2. Angl. Florib. 1.part. de matrimon. qu.9. de divort. art.2. diff.5. Enriq. l.11. de matrim. cap.17. num.6. ad fin. & l.12. cap 5. nu.10. fin. Petr. de Ledeſ. de matrim. qu.62. nu.6. not.un. circa 3.concl. Lud. Lop. 1.part. inſtr. cap.295. §. Præterea quia non tam facilis: & 2.p. de matrimon. cap.54.* ubi de divortio quoad habitationem, *§. pen. notab.2. Cannedo ſum. de ſacram. de matrim. c.7.n.65.* Idem expresse sentiunt alii DD. asserentes integrum esse innocenti reconciliari adulterum, donec hic jam professus sit. (Si enim non posset absque innocentis licentia profiteri, posset utique poit professionem revocari: tanquam is qui illegitime professus est nec potuit jus innocentis lædere.) Sentiunt etiam non posse invito innocenti profiteri: cum dicant posse ab illo usque ad professionem revocari. Hi sunt *Hoſt. cap.Ex litteris, ad fin. de divortiis*, & *ibi Jo. Andr. num.10. Abbas fin. Anch. num.11. Henr. num.13. & c. Uxoratus, num.6. de converſ. conjug. Alex. de Nevo d. cap. Ex litteris num.20. & cap. De illa, nu.6. ad fin. de divort. Roſella Matrim.7. n.3. Angel. Matrim. 4. num.3. & Felin. c. Lator, declar. 8. num.9. fin. de ſent. & re judic.* dubius manet, cogitandumque relinquit. Et videtur tenere *Supplem. Gabriel. Enriq. utroque loco citato*, quando res non esset integra: quia jam conjux adulter est sacris initiatus: dicunt enim tunc eum non posse revocari. Imo & posse adulterum absque innocentis licentia emittere tunc simplex castitatis votum, nec posse ab innocenti revocari, docent *Palud. Suppl. Gabr. ib. Sot.4. d.36. qu.un. art.5. ad 3. & ar.6. ad 2. Lud. Lop. utroque loco allegato, Petr. de Led. proxime citatus*. Ut dicit *Sotus eo. art.5. ad 3.* si velint conjuges reconciliari postquam adulter se voto castitatis ligavit, non posse eum, qui vovit, petere nec reddere. Verum aliqui DD. hujus sent. contrarium docent circa votum simplex, dicentes posse adulterum solo voto simplici astrictum, revocari ab innocente quando absque ejus licentia vovit. Sic *Angles, & Canedo proxime relati. Enriq.* dicens ita sentire aliquos Neotericos *l.de matr. c.17. n.6. ad fin.* Addit *Petr. de Led.* contra reliquos, etiam tempore novitiatus non posse adulterum revocari. Et hæc sententia est probabilis.

Alii vero existimant etiam conjuge innocenti invito, licitum esse adultero, post divortii latam sententiam, ad religionem transire. Quia sententia illa non solum innocentem, sed etiam adulterum ipsum a conjugalis servitutis obligatione eximit: quæ sola obstaculo est, ne conjuges statum mutare possint. Insuper probatur omnibus rationibus, quibus sent. n.2 relata probavit, non posse innocentem, sententia divortii lata, cogere adulterum, ut sibi reconcilietur. Et ita omnes Doctores illius sententiæ tenentur hanc affirmare. Et ita docent *Hugo relatus a gl. c. Ex litteris, v. Redire, de divort. Manal. ſum.* ubi de matr. *t. de divortio ratione fornicationis, §. An poſſit vir reconciliare uxorem adulteram invitam, paulo poſt principium. Nav. l.4. conſ. in 2.edit. t. de div. conſ.4.n.1. juncto n.3.* ubi id quod dixerat *n.1. & in 1.edit. l.3. t. de reg. conſ.38. n.1.* nempe non teneri adulterum lata divortii sententia redire ad innocentem, temperat quando adulter vult ingredi religionem. Et refert pro se *gl. c. Agatheſa 27. qu.2. v.Converſionis*. Sed male. Quia *gl.* id non dicit ex propria sententia, sed ex Hugone id affert, addens contradicere *auth. Sed hodie. C. Ad l.Jul. de adult.* Idem tenet *Sotus 4. d.36. qu.un. art.5. ad 3. Gueta repet. c.Ad limina 30. qu.1. §.4. n.224. Bart. a Led. de matr. dub.64. poſt 3.concl. verſ.Sciendum eſt ſecundo*. Et est probabile. 11

I. tamen conclusio sit. Minime permittitur conjugi adultero transire ad religionem, invito innocenti, etiam lata divortii sententia: quod si ingrediatur, potest etiam post professionem revocari. Hæc conclusio est contra DD. relatos nu. præc. Et ratio illius est. Quoniam cum teneatur adulter reconciliari innocenti id petenti: si eo volenti reconciliationem renuat adulter, & ipso invito profiteatur, non potest ea professio juri conjugis innocentis præjudicare. Quare hanc conclusionem probant omnes rationes adductæ, n.3. quibus probavi teneri adulterum etiam lata sententia, reconciliari innocenti. Atque ita DD. ibi relati, pro ea sententia tenentur hanc conclusionem affirmare. Et in terminis docent *Laurentius*, quem refert, & sequitur, *Glos. c. Ex litteris, v. Redire, de divort. Goff. ſum. t. de converſ. conjug. nu.8. D.Ant. 3.p. t.1. c.21. §.6. verſ.Effectus accuſationis, Aſtenſ. ſum. 2.p. lib.8. t. 1. 3. fin. & t.33. art.3. caſu 6. Sylv. v. Divortium, qu.10. & matr.9. qu.11. Palacios 4. d.35. diſp.un. col.7. ante verſ. Porro in gratiam, fol.783. Barb. rub. 2.p. n.22. fin. ff. ſolut. matr. Graff. 1.p. deciſionum l.2. c.84. n.14. & 2.p. l.1. c.12. n.66.* Et a fortiori idem docent authores n.seq. allegandi. Et hanc conclusionem intelligo, quando innocens contradicit ingressui religionis adulteri, volens eum sibi reconciliare: nam si utrumque renuat, dicemus n.16.

13 Secunda conclusio. Nec potest conjux adulter ad religionem transire, ignorante, & inconsulto innocente, sed ejus licentia desideratur. Quia cum innocens jus habeat cogendi adulterum ad reconciliationem, necessario circa mutationem status adulteri consulendus est, ejusque beneplacitum petendum, ne juri sibi acquisito præjudicetur. Hæc est contra DD. n.10. relatos. Sed illam tenent *D.Thom.4. d.35. qu.un. art.6. ad 3.* & ibi *D.Bonav. art.un.q.5. ar.2. Alberic. in ſuo diction. lit.M. v.matr. & verſ. Quid ſi aliquis conjug. Jo. de Friburg. ſum. confeſſ. l.4. tit.22. q.14. Abul. c.19. Matt. q.75. ad fin. corp. & q.76. in ſol. ad 3. Nicol. de Orbel. 4. d.35. qu. §.2. Roſella v.Divortium n.11.* ubi *Sylv. q.10. Armilla n.8. idem Sylv. Matr.9. qu.11. Brunellus de ſponſal. concl.30. declar.8. n.12. v.Tertium eſt Veracr. 3.p. Speculi, art.6. prob.3. Secunda de concl. Bart. a Led. dub.70. de matrim. paulo poſt princ.* Quam conclusionem intelligo, (ut dixi n.6. præc. in fine) quando innocens negaret licentiam, volens sibi adultero reconciliare. Nam nu.16. dictum fumus, quid possit adulter, quando innocens reconciliationem renuit, licentiamque denegat. Unde quando sine licentia innocentis profitetur, poterit revocari. *Alber. Sylv. Bart. a Led. ibid.*

14 Tertia Conclusio. Valde mutat statum adulter, post divortii sententiam, si id sciat innocens, nec contradicat, cum possit. Quia satis videtur data licentia. Sic *D.Anton. 3.par. t.1. c.21. §.6. verſ.Effectus accuſationis. Alber. Jo.de Friburgo Nicol. de Orbellis nu.præced. allegat. Sylveſtr. Matrim.9. qu.11. Tabiena Matrimonium 4. qu.5. n.6.* De limitatione, quam aliqui ponunt, ut innocens manens in sæculo teneatur continere dicemus nu. seq. Utrum autem votum simplex castitatis, aut religionis factum a conjuge adultero post divortium celebratum, sive propria authoritate ipsius conjugis innocentis, sive authoritate judicis, de licentia innocentis tacita, aut expressa, possit alter conjux irritare: vel alia vota tunc de licentia innocentis facta, casu quo posset irritare si facta essent de licentia conjugis, matr. integro perseveranti: juxta dicta l. præc. tota disp.40. *D.Th. 4. d.35. qu. un. art.6. ad 3.* dicit teneri celebrato divortio adulterum reconciliari innocenti volenti, nisi de licentia ejus votum emiserit. Ubi clare sentit non posse irritare votum castitatis de licentia innocentis emissum. Quod verissimum esse credo. Quia cum jam matrimonium divisum sit ex parte utriusque conjugis: ex parte enim adulteri divisum est plene, eo quod innocens assensum dedit voto incompatibili, nempe, castitatis, vel religionis, nullum jus revocandi valide habet innocens; & idem credo, si alia vota post vel ante illad castitatis, vel religionis emisit adulter, etiam absque licentia innocentis. Non enim posset innocens voto castitatis religionisve facto ea irritare. Sicut lib. præc. disp.39. n.41. diximus non posse adulterum irritare vota innocentis tempore divortii emissa. Quoniam emisso jam voto castitatis, aut religionis ab adultero, de licentia innocentis, æque liber est a jugo conjugalis servitutis, ac ipse innocens. Quod si postea instauretur matr. & ad pristinum statum redigatur, censebuntur ea omnia vota, sicut si emissa essent ante matr. Sicut de votis innocentis tempore divortii factis diximus d. disp.39. n.41. ac proinde idem dicendum erit de iis votis, quod ibi diximus de votis innocentis. Si autem innocens celebrato divortio, propria aut judicis authoritate, concessisset licentiam adultero, alia emittendi vota præter castitatis, aut religionis cum illa non repugnent statui conjugali: ac proinde non reddant adulterum immunem ob obligationem servitutis conjugalis, & reconciliationis, si velit innocens: existimo posse innocentem cogere adulterum, ut sibi reconcilietur: ac reconciliatione facta, posse irritare ea vota valide, sed peccando mortaliter, ubi causa justa irritanda non esset: & absque culpa, ubi causa justa esset: perinde ac posset, si integro & illæso matr. facta essent. Juxta tradita lib. præc. disp.40 nu.4. & seq. Et hoc, quando maritus esset innocens, & uxor adultera. Et si e contra uxor esset innocens, & vir adulter, facta reconciliatione, idem censendum esset de his votis factis tunc a viro de licentia uxoris. Sicut diximus de aliis votis factis integro matr. de licentia uxoris, l. præc. disp.42. n.13. Et ratio horum omnium est. Quia ex parte innocentis, & in suum favorem manet integrum, & illæsum matr. Quod si innocens data licentia adultero vovendi castitatem, aut religionem, re integra, idest, ante votum ab adultero emissum revocasset licentiam, credo adulterum teneri reconciliari. Et ita caute dixit *D.Th. initio hujus num. allegat.* teneri adulterum redire ad innocentem, nisi de licentia ejus jam votum emiserit: quasi aliud sentiens quando data licentia, nondum votum factum est. Sicut etiam l. præc. disp.40. n.13. diximus revocare posse licentiam vovendi concessam re integra, quando matr. illæsum est. Quoniam videtur integrum, & illæsum ex parte innocentis, dum adulter ea licentia minime usus est. Unde si concessit innocens licentiam vovendi castitatem, votum religionis, & alia vota emittendi: & adulter alia vota emittat, potest adhuc, nondum emisso voto castitatis, aut religionis, innocens revocare licentiam, & cogere adulterum ad reconciliationem. Quia adhuc res est integra ex parte matr. cum per alia vota ipsi non præjudicetur. Et semel facta reconciliatione dicendum erit de potestate irritandi hæc vota, quod proxime diximus; quando solum concessa est licentia ad ea emittenda. Quia eadem est ratio, cum emissa sint, & instauretur matrimonium, nondum illi præjudicio facto.

Quarta Conclusio. Ut adulter de licentia innocentis profiteatur, vel ad sacros ordines transeat, non est necessarium, ut innocens etiam ad religionem transeat votumve castitatis emittat: sed potest manere in sæculo absque voto aliquo. Quia textus prohibentes mutationem status alterius conjugis, altero in sæculo manente, saltem absque castitatis voto, *c.Sane, c. Cum ſit, cap.Significavit, de converſ. conjug.* loquuntur, ubi matr. integrum, & illæsum perseverat: secus ubi est divortium. Quia cum innocens liber sit a jugo debiti conjugalis, potest independenter a mutatione status adulteri ad religionem ordinelve transire, quod si id non possit ita libere adulter, provenit favore innocentis, ne jure reconciliandi, quod habet, derogetur. Quare renunciante innocenti huic favori, poterit ita libere, ut innocens, transire ad ordines, aut religionem. Atque ita *Sot. 4. d.36. qu.un. art.5. ad 3.* dicit posse adulterum dimissum transire ad ordines, vel religionem innocenti manente in sæculo. Et hoc credo verum, etiamsi non sit lata divortii sententia. Nam in foro conscientiæ cessante scandalo potest libere innocens divertere ab adultero, & mutare statum, transeundo ad ordines, vel religionem (ut disp. seqq. n.11. & seqq. dicemus.) Quare poterit similiter favori suo renuncians, eam licentiam concedere adultero, quamvis ipse innocens in sæculo maneat absque voto. Unde dum *Alberic. D. Ant. & Sylveſt. n.13. allegati*, ajunt posse adulterum de licentia innocentis profiteri: at innocentem teneri continere, non intelligunt, obligari, emittere votum continentiæ, sed abstinere ab alio matrimonio: eo quod prius vinculum non solvatur, quando jam consummatum erat. Alias nil speciale esset in hoc casu divortii. Quod idem aperte constat de innocenti, ex *cap. Agatheſa 27. qu.2.* ubi decidit conjugem ingressum in religionem, uxore manente in sæculo absque voto, restituendum esse uxori, nisi mulier fornicata sit.

Quinta Conclusio. Si lata divortii sententia, innocens monitus nolit adulterum sibi reconciliare, potest adulter statum mutare profitendo, & semel jam professus revocari non poterit. Probatur ex *cap.Gaudemus, de converſ. conjug.* ibi: *Mulieres quæ lapſu carnis ceciderunt, ſi mariti earum a te diligenter commoniti, eas converſas noluerint recipere, in claustris cum religioſis mulieribus ſtudeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant*. Quem textum ita intelligunt *Hoſt. ibi num.3. Joan. Andr. num.3. Anton. fin. Anch. n.2. Card. nu. un. q.1. Aſtenſis ſum. 1.p. l.8. t.11. ar.3.fin.* Sed id minime probat textus: ut manifeste patet: & docet *ibi Panor. nu.7.* reprobans hunc intellectum. Quia non includitur mulier in eo eventu in monasterio, ut profiteatur, sed ne incontinenter vivat. Quare rationem hujus conclusionis eam esse existimo, Quoniam innocens reconciliationi non connivens, videtur concedere licentiam adultero, ut ad religionem transeat: & quamvis reconciliationem denegans retragetur ingressui religionis, est irrationabilis voluntas. Nam innocens lata divortii sententia non habet jus omnino in adulterum, ut ipsum quasi ligatum habeat, ne possit sibi consulere statum eligendo, si ad reconciliationem minime admittatur. Solum enim habet jus reconciliandi, & revocandi ad pristinum matrimonium. Quare hac reconciliatione denegata, liberum erit adultero ad religionem transire. Atque ita docent *Hoſt. Joan. Andr. Anton. Anch. Card. Aſtenſ. proxime citati. Vincent. ſpec. doctr. tom.2. lib.9. c.90. ad fin. Abulenſ. cap.19. Matth. qu.75. ad fin. corp. & quæſt.76. in ſolut. ad 3. Veracruz 3.p. Speculi. art.6. prob.3. Secunda concluſ.* Intelligo tamen, quando conjux adulter esset emendatus. Non enim potest tribui innocentis culpæ, aut moræ, si adulterum conjugem in delicto perlistentem minime admittat. Atque ita textus *dict. cap. Gaudemus*, ait: *Eas converſas noluerit recipere*. Sic docent *Abulenſis ibid.* Item non semel tantum debet conjux innocens admoneri, sed tæpe. Quod significat textus *d.cap.Gaudemus*, ibi: *A te diligenter commoniti*. Et ratio est. Quia tunc vere poterit dici, esse innocentem in mora, & contra rationis limites denegare reconciliationem, & ingressum in religionem: vel si hunc non expresse neget, concedere tacite licentiam, ac jure suo cedere. Quod ex semel negata reconciliatione dici nequit. Quoniam ratio ni consonum est, ne statim innocens acquiescat, ne adulter parvipendat suum delictum, ac iterum in illud labendi animum sumat. Atque ideo hanc monitionem tæpe faciendam esse, ut fas sit adultero ad religionem transire, docent *Hoſt.*

Jo. Andr. Ant. Anchar. Card. proxime citati, & Astens. summ. 2.p.l.8.t.11.ar.3.fin. Quod si numerum monitionum roges, ar. *2.p.l.8.t.11.ar.3.fin.* Quod si numerum monitionum roges, arbitrio prudentis remittendum censeo, ut juxta delicti qualitatem, & conditionem personarum arbitretur, quando innocens communitus dicatur esse in mora, necsit rationi consonum, ut amplius reconciliationem differat, aut licentiam concedere adultero transeundi ad alium statum. Et hanc monitionem ab Episcopo faciendam esse, docent *Hosf. c. De illa, n.2. de divortiis, & ibi Jo. Andr. n.3. Ant. n.4. Præpos. n.4. Henric. c. Quanto, n.7. de divort.* Idemque colligitur ex *dict. c. Gaudemus*, ibi: *A te diligenter communiti.* Verum in foro conscientiæ non video cur necessarium sit, hanc monitionem ab Episcopo fieri. Nec prædicti Doctores eam tanquam necessario ab Episcopo faciendam ponunt: sed dicunt Episcopum debere monere virum, ut uxorem recipiat. Et reliqui Doctores pro hac conclusione allegatis solum petunt, ut vir monitus reconciliare nolit. Potest autem innocens, qui sic monitus reconciliationem negavit, sententia mutata revocare adulterum, donec profiteatur: at, professione facta, audiendus minime est: sed imputare sibi debet negatam reconciliationem. Quia usque ad professionem, cum res adhuc sit integra, non ita jure reconciliandi destitutus est, quin possit ipsum reconciliationis denegatæ pœnitere. Atque ita docent *Hosf. Jo. Andr. Anton. Præpos. Henrig. hoc posteriori loco proximè allegato. Venacr. 3.p. Spec. ar.6. prob.3. secundæ conclus.* Similiter credo in casu hujus conclusionis, integrum esse conjugi adultero, ad ordines transire, votumve castitatis simplex emittere: nec ordinibus assumptis, aut voto emisso, posse illum ab innocente revocari. Quia jam res non est integra: nec conqueri potest innocens, qui sæpe monitus non acquievit. Et in hoc casu admitto sententiam *Sti 4. d.36. quæst. art.5. ad 3.* ubi ait posse adulterum, sententia divortii lata, emittere, sive solemne sive simplex castitatis votum: nec eo emisso posse ab innocenti revocari ad pristinum matrim. usum. Quod idem tradit *Lud. Lop. 2.p. instruct. de matr. c.54.* ubi de divort. quoad habitationem, §. *penult. notab.2. & 1.p. c.295. Præterea quia non tam facile.*

17 Tandem observandum est, *Lud. Lop. duplici loco n.preced. in fin. allegato*, asserere adultorum, qui lata divortii sententia votum simplex castitatis juraverit, aut probaverit se emissse, revocandum minime esse: atque ita clare sentit ejus juramento, aut probationi standum esse. Nec loquitur de foro conscientiæ, in quo constat, nec juramentum, nec probationem desideran: sed de foro externo, in quo probatio necessaria est. Et refert pro *se Sotum 4. d.36. q.un. art.6. ad 2.* sed male. Quia *Sotus* copulative loquitur, (& bene) si juraverit, & probaverit se vovisse. Nam cum juramentum illud sit in præjudicium conjugis innocentis, utpote quod jus revocandi impedit, & in favorem libertatis ipsius adulteri jurantis, illi absque alia probatione standum minime est. Quia licet confessio valeat contra ipsum confitentem, non tamen valet contra tertium, *c.1 de confessis.*

18 Ad argumenta n.10. & 11. proposita constat ex dictis n.3. & 5. ubi satis soluta sunt.

DISPUTATIO XI.

Utrum conjugi innocenti interrum sit adultero invito, ad religionem, ordinesve transire: sive divortii sententia lata sit, sive non?

SUMMARIUM.

Quot sunt quæstiones disputandæ, n.1.

Integrum est innocenti ad religionem transire, adultero manenti in sæculo, etiam absque voto, nu. 2. & remissive, quid si uterque sit innocens, & ingrediatur alter absque alterius legitima licentia religionem, ad ordinesve transeat, an jam professus, vel initiatus possit revocari ab uxore tunc fornicante, vel ipse possit redire: & excipere monasterium, aut judex ex officio, quando ipse vir nolit excipere: & an efficiatur tunc valida illa professio.

Potest similiter innocens votum castitatis emittere, 3.

An ad id desideretur sententia divortii. Refertur quædam sententia. 4.

Ut conjux innocens ita profiteatur, vel ad ordines ascendat, ut non possit revocari, non satis est adulterium alterius conjugis: sed eo non obstante, si occultum sit, restituetur alter conjux, 5.

Quid, si tunc conjux spoliatus agat judicio solo petitorio; vel si adulterium sit admissum post spolium, vel si adsuit licentia alterius conjugis, quamvis illegitima, 6.

An desideretur sententia divortii, an potius sufficiat adulterium esse notorium, quo impediatur restitutio innocentis ingressi religionem: aut jam ad ordines promoti. Referuntur variæ sent. n.7. 8. & 9.

Proponitur sententia Authoris, quando possit innocens transire ad religionem vel ordines, ita ut revocari nequeat, 10.

An ut in foro conscientiæ utrumque liceat, vel votum castitatis emittere, sit, si cognitudo adulterii, quamvis illud occultum sit. Et an hic conjux restituatus in foro externo uxori possit petere, aut reddere, 11.

Quid, si sequatur præjudicium religioni, aut ordini suscepto. Et an conjux tunc rogatus a monachis admittatur; vel ab Episcopo concessuro literas dimissorias ad ordines, vel ad illos promoturo, cum sit conjugatus, teneatur veritatem fateri, 12.

An quando uterque conjux est adulter, & vir emendatus petit ab uxore reconciliationem, & illa renuens in adulterium relabitur, possit vir ad religionem, ordinesve transire. Et an tunc possit negare se esse conjugatum, 13.

An valeat professio, si admittens ignoraret conjugium, & admittens non esset eo cognito, & similiter literæ dimissoriæ ad Ordines valeant, quando Episcopus matr. consensu eas negaret: & liceat conjugi negare matrimonium, 14.

An possit vir innocens eodem modo transire ad Ordines, quo potest ad religionem. Refertur quædam sent. 15.

Potest transire, n.16. & ibi, quoties licet transire ad religionem, licet, & ad ordines.

Solvuntur argumenta. Et explicatur cap. Constitutus, de converf. conjug. n.17.

Disp. præc. actum est de transitu conjugis adulteri ad religionem, vel ordines. In hac de conjuge innocenti agendum est. Duplex est agitanda quæstio. Prior de transitu ad religionem. Posterior, de transitu ad ordines. Et quidem in priori qu. simul tractanda sunt aliqua spectantia pariter ad tranitum ad ordines: supposito eum esse licitum (ut dicemus n.16.) ne inutiliter repetantur. Nam eadem prorius in utraque quæstione esient repetenda. 1

Quæstio prior. An conjugi innocenti licitum sit ad religionem transire invito adultero? Conveniunt universi, id licitum esse innocenti. Idque constat ex *c. Constitutus, & c. Venient de converf. conjug.* & ex *c. Agathosa, 27. qu.2.* quod est *D.Greg. l.9. Epist.44.* Et ratio est. Quia adulter omne jus conjugale amittit, quod solum obstaculo erat ingressui religionis innocentis. Nec oportet adulterum simul ingredi, aut voto castitatis te astringere. Ut diximus disp. præc. nu.15. Utrum autem conjux in religione professus, aut ad ordines promotus absque legitima conjugis licentia, si conjux manens in sæculo fornicetur, possit repeti, non obstante fornicatione tunc admissa cum prius esset innocens in sæculo, vel firma, & valida reddatur professio ob fornicationem alterius subtecutam: & an tunc possit deserta religione reconciliari, aut possit monasterium ipso invito objicere exceptionem fornicationis: aut monasterio non excipiente, possit judex ex officio excipere? dixi l.7. disp.36. per totam. 2

Similiter, potest innocens, adultero invito, votum simplex castitatis emittere. Quia adulter jure exigendi destitutus id prohibere nequit, *D.Th. d.35. qun. art.5. ad 3.* quem omnes sequuntur. 3

Sed dubitatur, num ad id desideretur sententia divortii? Et quidem DD. asserentes ante sententiam divortii non licere innocenti debitum negare adultero petenti (quos referam d. seq. nu.12.) subinde dicent, nec licere in foro conscientiæ innocenti, ante sententiam divortii, ad religionem ordinesve transire, aut voto simplici omnimode castitatis se astringere. Quia ante illam obstat jus debitum exigendi, quod adulter retinet. Verum ea sententia tanquam falsa ibi rejicietur. 4

Et ut distincte procedamus, distinguendo ea, quæ in foro externo, & quæ in interno conscientiæ observanda sunt. Certum est, ut conjux ita profiteatur, ad ordinesve ascendat, ut revocari nequeat ab adultero, non sufficere adulterium occultum adulteri dimissi, sed non obstante ejusmodi adulterii exceptione, restituendum esse in foro externo sic professum, aut sacris initiatum, adulterio se spoliatum alleganti, petentique restitutionem. Quoniam excepto adulterii occulti minime impedit restitutionem. Ut late disp. seq. diseremus. Atque ita fatentur omnes DD. n.7. 8. & 9. pro variis sent. allegandi: tantum enim dissident circa qualitatem notorii, & num sufficiat illud esse notorium, an potius desideretur sententia divortii. 5

Intellige tamen, hanc restitutionem faciendam esse adultero spoliato petenti, quando adulter ille volens revocare, ageret judicio possessorio, nimirum, petens se restitui ad possessionem, qua spoliatus est. Tunc enim prius restituetur, quam agatur de exceptione adulterii occulti: secus autem, si ageret judicio petitorio, nimirum, petens ut vir secum habiret. Tunc enim repellitur exceptione adulterii etiam non notorii, & prius de exceptione lis agitabitur. Sic *Goffred. sum. tit. de converf. conjug. n.7. Hosf. sum. eod. tit. n.9. Jo. And. c. Ex litteris, n.11. de divortiis. Et ibi Anchar. nu.12. Alex. de Nevo, num.20. Henr. c. Uxoratus, n.6. & 7. de converf. conjug. Brunel. de sponsal. concl.30. declar.8. nu.12. v. Quartus casus.* Secundo intellige, nisi adulterium sit post spoliationem commissum. Exceptio enim talis adulterii impedit restitutionem, secus si ante commissum sit, ita *Goffred. Hosf. Henr. Brun. ibid. Astens. 2.p. sum. l.8. t.11. art.2. q.8. Graff. 1.p. decisionum l.2. c.84. nu.13. & 2.p. l.1. c.12. nu.66.* Sed hujusmodi distinctio prorius displicet: atque eam reprobabo d. seq. in nu.30. Tertio intellige, nisi de licentia uxoris, quamvis minus legitima, innocens transiret ad religionem ordinesve, tunc enim non esset restituendus uxori adulteræ petenti, licet adulterium sit occultum, sed exceptio illius debet audiri, & eo probato, absolvendus est. Quia tunc est spoliatio: cum uxor consensum præstiterit. Sic *Nav. lib.3. conf. in priori edit. t. de converf. conjug. conf. in fine: poster. eod. t. conf.14. fin.* 6

Tota autem difficultas est, num desideretur sententia divortii, an potius sufficiat adulterium esse notorium, quo impediatur restitutio conjugis innocentis jam professi, ad ordinesve promoti? Tripliceim invenio sent. Prima ait, desiderari sententiam divortii præcedere, atque ita intelligi *cap. Agathosa 27. qu.2.* concedens innocenti transitum ad religionem, denegansque adultero jus revocandi. Ducitur, quoniam adulterium notorium non impedit restitutionem, nec concedit jus propria authoritate, minime expectato Ecclesiæ judicio, divertendi. Cujus fundamenta, & authores referam disp. seq. n.11. Atque ita docent *Goffred. Hosf. Andr. Anchar. Henr. Astensis, Brunel. num.preced. relati, Graff. 2.p. decis. l.1. c.12. n.65.* Atque idem videntur sentire *Durand. 4. d.32. q.2. ar.1. n.5. Abulens. 19. Matth. q.75. Veracr. 3.p. Speculi, art.6. prob.3. secund. concl.* ubi ajunt posse innocentem ingredi religionem, post latam divortii sententiam. Et intelligit bene *Alex. de Nevo cap. Ex litteris, num.20. de div.* quando sententia illa transit in rem judicatam. Et ego addo, vel nisi triplex divortii sententia præcesserit. Secus quando sententia illa per appellationem suspensa esset. Non enim posset spoliari adulter. 7

8 Secunda sent. dicit, sufficere adulterium esse notorium, ne revocetur innocens a religione, vel ab ordine sacro susceptio, ad usum conjugalem. Ducitur, quoniam id satis est ad licite divertendum a conjugis habitatione, impediendamque restitutionem. Cujus fundamenta, & DD. referam disp. seq. n.12. Atque ita docent *gl. c. Agathosa, v. Fornicationis. 27.q. 2. Jo. de Friburg. sum. conf. l.1. t.8. q.49. Alex. de Nevo c. Ex litteris, n.20. de div. Nav. l.3. conf. t. de converf. conj. in 1. edit. conf.5. fin. in 2. conf.14. fin. Nata consil.116. n.un. Gaeta repet. c. Ad limina, 30. q.1. §.4. n.16. Ant. Gabr. t.1. commun. opinio in mea edit. l.1. v. Adulterium, fol 22. col.2. Cordub. sum. qu.138. Bart. a Led. de Matrim. dub.64. post 3. concl. Secundum est secundo.* 2

9 Tertia sent. docet, non sufficere qualecumque notorium, sed oportere ita notorium esse adulterium, ut publice conjux habitet cum adultero. Hoc enim solum sufficit, ut conjux propria authoritate divortium celebrare possit, absque restitutionis periculo. Ut bonis ducti fundamentis asserunt multi, quos referam disp. seq. nu.13. Et ideo ita docent *Alber. in suo repert. lit. M. verb. matrim. 8. vers. Quid si aliquis conjugum. Monaldus summ.* ubi de matrimon. *tit. de divor. §. Propter quid fiat divortium, v. Item si uterque Jo. de Friburg. sum. confess. l.4. tit.22. Gaeta repetit. c. Ad limina 30. qu.1. §.4. n.223.* 3

10 Hæc tamen diversitas oritur ex varietate opinionum, circa d. q. seq. agitandam, quando integrum sit conjugi innocenti propria authoritate divortium celebrare quoad habitationem: ita ut nec in foro externo sit restituendus? Nam (ut videmus) uniformiter loquuntur DD. in utraque q. Et ideo dicendum est, cum *Sylvestr. v. Divortium qu.23. dub.2. n.16.* tunc licere innocenti ad religionem transire adultero invito, ita ut non possit repeti ab adultero, nec ei sit restituendus, quando vel præcessit sententia divortii, vel ea non expectata, adulterium ita notorium est, ut possit innocens propria authoritate deserere consortium, & habitationem adulteri, absque metu restitututionis. Quando autem hoc contingat, late d. seq. agendum est, ubi n.14. & seqq. explicabo meam sententiam. Idemque dicendum est de facultate concessa innocenti, assumendi ordines sacros absque restitutionis faciendæ periculo. Quoniam eadem est ratio. 4

11 Quoniam autem, ut impediatur restitutio in foro externo conjugis innocentis professi, aut ad ordines sacros promoti, desideretur vel sententia divortii, vel adulterium conjugis manentis in sæculo, ita notorium esse, ut possit propria authoritate dimitti: at ut in foro conscientiæ is transitus liceat ad professionem, ordinesve, aut ad votum simplex omnimodæ castitatis, & valida omnino fint professio, & votum, satis est occultum conjugis derelicti adulterium. Quia id satis est, ut in foro conscientiæ, secluso scandalo, liceat propria authoritate divortium celebrare, ut d. seq. nu.31. dicemus. Atque ita cessat jus conjugale, & subinde injuria conjugis derelicti, quæ obstant mutationi status conjugum. Sic docent *Nav. l.3. tit. de converf. conjug. in priori edit. conf.5. fin. in posteriori, conf.14. fin. Nata conf.116. n.un.* Unde fit, ut si conjux innocens jam professus, aut sacro ordine initiatus, aut simplicis castitatis voto astrictus, judice cogente restituatur conjugi derelicto, eo quod adulterium sit occultum aut illud probare nequeat: non possit petere nec reddere debitum. Quia sententia illa innititur falsæ præsumptioni, & in foro conscientiæ professio, & votum fuere omnino validar: cum sit certus de adulterio conjugis alterius, ac subinde amissionis totius juris conjugalis. At si solum esset votum simplex castitatis, & semel reconciliaret sibi conjugem derelictum, peccaret contra illud votum reconciliando, eo quod obliget se ad reddendum: at deinceps teneretur reddere: non tamen posset petere. Ut in simili dixi lib. præced. disp.6. num.14. 5

12 Intellige tamen licere conjugi transire ad religionem, vel ad ordines, ob adulterium occultum, si solum attendamus injuriam, & damnum matr. ac conjugis derelicti. Nam cum sit sufficiens causa divortii, nulla injuria irrogatur. At aliunde poterit esse culpa, ut ratione scandali, aut detrimenti religionis, aut ordinis sacri. Quoniam si repetat conjux derelictus, restituetur conjux professus, aut sacris initiatus, ex quo detrimentum patietur religio, & gravem injuriam professio, & ordo. Unde hac ratione esset prorsus illicitum moraliter loquendo, nisi divortii sententia præcederet. Quoniam cum dubium valde sit, num sufficiat adulterium esse notorium, quo impediatur hæc restitutio, gravis esset injuria ordinis sacri, & religionis, lite vexari, eo vel maxime, quod dubius valde sit sententiæ eventus: & an conjux restituetur. Quod non in minimam religionis, & ordinis jacturam cederet. Quare existimo hanc conjugem, qui divortii sententiam non obtinuit, rogatum a monachis, nisi sit conjugatus, vel ab Episcopo promoturo ad ordines, aut litteras dimissorias ad id concesturo, teneri fateri veritatem, nec posse negare se esse conjugatum. Ut in simili dicunt *Nav. & Manuel*, prout n. seq. referam. Nam justam causam habent interrogandi, & non admittendi ad religionem, vel ordines, talem conjugatum ante divortii sententiam. Dixi autem esse prorsus illicitum moraliter loquendo, quia si casu contingere in partibus remotissimis, ubi id periculum non esset: credo esse licitum, nec illum teneri fateri se esse conjugatum: cum moderatione, quam n.14. adhibendo, in fine. 6

Hinc infertur, a fortiori vetum esse, quod docent *Nav. l.4. conf. in utraque edit. t. divort. conf.3. fin. & n.3. Enriq. l.12 de matr. c.5. fin. & Manuel 1.c. sum. edit. c.240. n.3. ad fin.* nimirum, non licere conjugato adultero, qui jam emendatus petiit ab uxore, similiter adultera, reconciliationem, quam illa denegavit, & mox in adulterium relapsa est, ad religionem transire; nondum obtenta divortii sententia. Quia esti multi afferant id esse sufficientem divortii causam (ut dixi, eamdem opinionem amplectens, disp.7. n.4.) At id non certum, sed aliqui tenent contrarium. Ut ibi dixi n.2. & 3. Præterea, quia est dispar ratio, nam divortium nulli tertio præjudicat: ingressus autem religionis graviter præjudicare potest monasterio. (Ut n. præc. probavi.) Et quamvis timide hoc dicat *Navar.* ait enim hoc esse tutius, & *Enriq.* tantum enim dicit, non debere transire ad religionem, vel ordines, donec sequatur divortii sententia. At existimo esse verissimum: propter rationes dictas. Et quamvis *Nav. & Enriq.* concedant eum transitum licere secuta divortii sententia. Nullo modo id admitterem in hoc casu, nisi uxor sic relicta excepisset in sententia divortii, allegans simile viri adulterium, & adhuc eo probato damnaretur: vel ita occultum esset viri adulterium, ut in judicium deduci minime possit. Quoniam alias poteft damnum sequi religioni, vel ordini assumpto, si uxor allegaret illud adulterium viri præcedens, ac proinde sententiam retractandam esse (juxta ea quæ diximus d.9. nu.9. & seqq.) tanquam falsæ præsumptioni innocenti viri innitentem. Ex his infertur, non posse virum in hoc casu negare se esse conjugatum, intelligendo se non habere uxorem, quæ possit suo ingressui præjudicare, quasi hæc paria sint. Non enim verum est eam non posse in foro externo reclamare: ut probavi. Atque ita docent *Nav. & Manuel proxime citati.* 7

Tandem in hac priori q. videndum est, num si innocens taceat se conjugatum esse, & sic admittatur ad professionem religionis, valeat professio? Quoniam *Nav. lib.3. conf. tit. de converf. conjug. in priori edit. conf.6. num.1. in posteriori conf.15. nu.1.* quem sequitur *Manuel 1.c. sum. 2. edit. c.240. nu.5.* sic distinguit: Si admittens ad professionem ea mente fuisset, ut admitteret virum fatentem se conjugatum cum muliere, quam juste dimiserat ob adulterium, valet professio. Secus si contraria mente fuisset. In dubio autem præsumitur eum cognita veritate admittendum, nisi in ea regione esset contrarium statutum. Quia quoad profitendum paria sunt, quemjam non esse conjugatum, & talem, qui possit ingredi religionem, ac si conjugatus non esset. De æquipollentibus enim idem est judicium, *l. fin. ff. mandati, c. Licet ex quadam de testibus.* Sed displicet omnino hæc distinctio. Et ideo censeo professionem in eo eventu esse validam, nisi esset aliquod statutum in ea religione, non solum prohibens, sed irritans professionem: quamvis ea mente affectus esset admittens ad professionem: ut veritate cognita non esset admissurus: nisi in ipla admissione actum hunc voluntatis eliceret, nolo admittere hunc, si est conjugatus. Quod moraliter nunquam accidit. Et hoc intelligo, quamvis ille innocens diverteri ob adulterium occultum alterius conjugis. Quia vel professionem hanc irritat jus conjugis adulteri dimissi: vel statutum religionis quando solum prohibet admissionem, non irritans professionem: vel voluntas illa habitualis non admittendi, si conjugium sciretur. Non jus conjugis dimissi. Quoniam eo ipso quod in adulterium labitur, omni jure conjugali destituitur in foro conscientiæ, & liber est innocens ad mutandum statum (ut n.11. probavi.) Nec statutum religionis. Quia illud suppono non irritare. Et multa fieri prohibentur, quæ tamen contra facta tenent: ut manifeste constat in voto simplici castitatis, quod matr. interdicit, non tamen irritat, *c. un. de voto, in 6.* Nec tandem irritat illa voluntas habitualis, seu mens, si sciremesse conjugatum, non admitterem. Quoniam ea mens, arguit tora, ut nollem, si scirem, non tamen arguit actu me noluisse: & ideo, nec votum simplex irritat, (ut probavi d.9. n.15.) nedum solemne professionis. Et confir. quia matr. non irritat ea voluntas habitualis, nisi sit error circa personam, aut conditionem, & substantialia contractus. Ut si quis ducat Mariam credens eam ditissimam, alias minime ductorus matr. valet. Et tamen paria sunt matr. & professio quoad hoc, ut solum irritentur, quando est error circa substantialia, Insuper aperte confirmatur, Nullus enim diceret professionem esse invalidam, si pro- 8